



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Imago saeculi XVII. ad annum huius saeculi X. producta

Neuhusii Paderbornae, 1710

Annus 1630.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29436

nensi auxiliares venere copiæ Franciæ 40
millium. Contra Ducem è diverso move-
runt infestis signis cùm Hispanis Cæsariani,
à quibus occupatis brevi tempore ducatūs
locis firmioribus, captisque adeo ipsis sub-
urbiis S. Georgii ad Mantuam, cæpit ipsa
urbis coronâ cingi, excitatis hinc inde pro-
pugnaculis ad præcludendum aditum ex-
currentibus.

Coacta est hoc anno se dedere Hollandis
post quatuor mensium oppugnationem de-
ficiente pulvere tormentario sylva-Ducis,
inter præcipuas Brabantia civitates natura
& arte egregiè munita. Eisdem paulò post
cessit Vesalia in Clivia, quâ proditione civi-
um, quâ Gubernatoris somnolentiâ, quam
capite postea luit Antwerpia.

Viennæ in captivitate, quæ ipsis peperit
libertatem filiorum Dei, ad fidem Ortho-
doxam conversus Rupertus Comes Palati-
nus filius Friderici olim septemviri, qui se
Regem Bohemiæ scripsit.

ANNO 1630.

IN comitio Ratisbonensi repetuntur vete-
res querelæ adversus Fridlandum, & mi-
litum insolentiam, gravesque exactiones.
Unde illicò exauthoratur Fridlandus, ju-
betur-

beturque cedere præfecturâ. Fridlando ex Principum sententiâ substituitur Tillius.

Querelis antiquis additæ novæ à Protestantibus contra edictum Cæsareum de restituzione bonorum Ecclesiasticorum, ejusque abolitio, vel saltem suspensio importunè flagitata, sed frustra. Ab Austria igitur in Septentrionem ab irritatis versa consilia, & Gustavus Rex Sueciæ, Princeps ætate, & viribus florens, bellandiq; peritiâ celebris, in subsidium laborantis hæresis, & excidium Germaniæ evocatus.

Mense Junio initium datum bello Suecico ab omni retro ætate Germaniæ funestissimo.

Prima exscensio exercitus Gustaviani, quem classis ex Suecia advexerat, facta in insula Rüga, quæ mox exactis paulò ante à Lesleo Cæsarianis cessit in Regis potestate: In eandem è vestigio concederunt duæ aliæ, Spanda, Wanaga, & Usedomus. Secuta est expugnatio Wolgasti & Stettini, & paulò post deditio totius Pomeraniæ.

Jacturam Pomeraniæ visus est non nihil resarcire Papenhemius, Dux Cæsareus in paucis fortis & bellicosus, Ducatu Lauenburgico; quem expugnato Boizenburgo.

Neohu-

Neohusio, & Ratzenburgo ademit Carolo Francisco Saxonii Lauenburgico, qui ad partes Suecicas desciverat.

In Italia Sabaudo bellum denuntiatur à Gallo, cuius jugum occupato Pignarolio brevi tempore, præter arcem Mommeliam, suscipere coacta est tota Sabaudia.

Mantua à Germanis nocte intempesta inter 18. & 19. Julii intercipitur, & per triduum diripitur.

Secuta pax mense Octobri inter Cæsarem hinc Hispanos & Sabaudum, & Gallos inde Venetos & Carolum Ducem Nivernensem, certis conditionibus, inter quas fuit, ut infra sex hebdomadas Carolus supplicaret pro investitura Ducatus Mantuani, & montis Ferratensis cum certa promissione illam obtinendi.

Concessus hoc anno Cardinalibus jubente Pontifice titulus *Eminentissimi*; ut non tantum purpurâ & colore, sed & nominis nobilitate ab aliis distinguerentur. *Brie.* Ricciolus rejicit hanc concessionem in annum sequentem.

ANNUUS 1631.

IN conventu Lipsiensi Protestantū mense Februario sub scheme defensionis li-

C 5 liberta-